

The *Liber pharetrae* Project

(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/LP/index.html>)

Liber primus de personarum varietate, Caput I: De Deo.

*Pharetra* (Salzburg, Stiftsbibliothek St. Peter, MS a.IV.34, fol.3ra-4ra)

1. Gregorius in moralibus. deus ipse manet intra omnia. ipse supra omnia. ipse extra omnia. ipse infra omnia. et superior est per potentiam. et inferior per substantiam. et exterior per magnitudinem. et interior per subtilitatem.

Quia enim ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia; et superior est per potentiam et inferior per sustentationem; et exterior per magnitudinem et interior per subtilitatem; sursum regens deorsum continens; extra circumdans interius penetrans; nec alia ex parte superior alia inferior, aut alia ex parte exterior atque ex alia manet interior.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 2.12 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.72, ll.16-22). cf. MF Deus o

2. Idem (Gregorius in moralibus). deus. hoc est. quod habet. eternitatem quippe habet. sed lux sua ipse est.

Deus namque hoc est quod habet. Aeternitatem quippe habet, sed ipse est aeternitas.  
Lucem habet, sed lux sua ipse est.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 16.43 (CCSL 143A, M. Adriaen ed., p.830, ll.17-19).

3. Idem (Gregorius in moralibus): omnipotens deus. etsi |fol.3rb| plerumque mutat sententiam. consilium nunquam.

Omnipotens enim Deus etsi plerumque mutat sententiam, consilium numquam.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 16.10 (CCSL 143A, M. Adriaen ed., p.806, ll.5-7).

4. Idem (Gregorius in moralibus). omnipotens deus quid nobis pro futurum esse valeat sciens dissimulat exaudire dolentium uocem. ut augeat utilitatem. ut uita per penam purgetur. et quietis tranquillitas. que hic inueniri non ualet alibi queratur.

Omnipotens Deus quid nobis profuturum esse ualeat sciens, dissimulat exaudire dolentium uocem, ut augeat utilitatem ut purgetur uita per poenam, et quietis tranquillitas quae hic inueniri non ualet, alibi quaeratur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 14.33 (CCSL 143A, M. Adriaen ed., p.722, ll.2-6).

5. Idem (Gregorius in moralibus). omnia humana que iusta que pulchra sunt dei iustitie et pulchritudini comparata. nec iusta nec pulchra sunt omnino nec sunt.

Omnia enim humana quae iusta, quae pulchra sunt, Dei iustitiae et pulchritudini comparata, nec iusta nec pulchra sunt, nec omnino sunt.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 35.2 (CCSL 143B, M. Adriaen ed., pp.1774-5, ll.4-6).

6. Idem (Gregorius in moralibus). conditor noster mira dispensatione consilii. et culpas respicit et uiuendi tempora impendit. ut longiora uite temporalis spatia aut conuerso fiant adiutorium muneris aut non conuerso augmentum damnationis.

Sed inter haec conditor mira dispensatione consilii et culpas respicit, et uiuendi tempora impendit, ut longiora uitae spatia aut conuerso fiant ad adiutorium muneris, aut non conuerso augmentum damnationis.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 17.5 (CCSL 143A, M. Adriaen ed., p.854, ll.18-21).

7. Idem (Gregorius) in omelii. vbique nobis occurrit superna medicina quia et dedit homini precepta ne peccet et tamen hoc peccandi dedit remedia ne desperet.

Vbique ergo nobis occurrit superna medicina, quia et dedit homini praecepta ne peccet, et tamen peccanti dedit remedia ne desperet.

Gregorius Magnus, *Homiliae in euangelia*, 2.25.9 (CCSL 141, R. Étaix ed., p.215, ll.279-281).

8. Idem (Gregorius) super Ezechielem: omnipotens deus |fol.3va| Qui sibimetipsi dissimilis non est ea uirtute uidet qua audit omnia. et ea uirtute creat qua iudicat creata.

Omnipotens autem Deus, quia sibimetipsi dissimilis non est, ea uirtute uidet qua audit omnia, ea uirtute creat qua iudicat creata.

Gregorius Magnus, *Homelie in Hiezechielem prophetam*, 2.5.10 (CCSL 142, M. Adriaen ed., p.283, ll.274-276).



9. Augustinus in epistola. deus vbique est presens. et vbique totus presens, nec vbique habitans sed in templo suo. Capitur autem habitans ab aliis prius plus. ab aliis minus.

deus igitur, qui ubique praesens est et ubique totus praesens, nec ubique habitans sed in templo suo, cui per gratiam benignus est et propitius; capitur autem habitans ab aliis amplius ab aliis minus.

Augustinus Hipponensis, *Epistulae*, 187.13 (CSEL 57, A. Goldbacher ed., p.116, ll.4-8).

10. Idem (Augustinus in epistola). deus totus oculus est totus manus, totus pes. totus oculus quia omnia uidet. totus manus quia omnia operatur. totus pes quia ubique est.

ego autem dico, quod deus totus oculus est, totus manus est, totus pes est. totus oculus est, quia omnia uidet; totus manus est, quia omnia operatur; totus pes est, quia ubique est.

Augustinus Hipponensis, *Epistulae*, 148.4 (CSEL 44, A. Goldbacher ed., p.344, ll.6-9). cf. MF Deus i

11. Idem (Augustinus in epistola). non tantum modo in hoc nos adiuuat deus ut sciamus quid agendum sit. verum etiam ut amando agamus quod discendo iam scimus.

non igitur tantum modo in hoc nos adiuuat deus, ut sciamus, quid agendum sit, uerum etiam ut amando agamus, quod discendo iam scimus.

Augustinus Hipponensis, *Epistulae*, 188.2 (CSEL 57, A. Goldbacher ed., p.126, ll.9-11).

12. Idem (Augustinus in epistola) dicit sanctum ieronimum dixisse. uidere deum sicut est in natura sua. oculus hominis non potest. nec solum homo nec angeli nec troni nec potestates. nec dominationes nec omne nomen quod nominatur.

Sanctus autem Hieronymus ait: 'Videre deum, sicuti est, in natura sua oculus hominis non potest, non solum homo nec angeli nec Throni nec Potestates nec Dominationes nec omne nomen, quod nominatur; neque enim creatura potest aspicere creatorem suum'.

Augustinus Hipponensis, *Epistulae*, 148.2 (CSEL 44, A. Goldbacher ed., p.337, ll.11-15).

13. Idem (Augustinus) de confessionibus. penitet te. et non doles. irasceris et tranquillus es  
[fol.3vb] opera mutas nec mutas consilium.

Amas nec aestuas, zelas et securus es, paenitet te et non doles, irasceris et tranquillus es, opera mutas nec mutas consilium; recipis quod inuenis et numquam amisisti; numquam inops et gaudes lucris, numquam auarus et usuras exigis.

Augustinus Hipponensis, *Confessionum libri XIII.*, 1.4 (CCSL 27, L. Verheijen ed., pp.2-3, ll.10-13).

14. Idem (Augustinus de confessionibus). o quam excelsus es, domine et humiles corde. sunt domus tue. tu enim erigis elisos et non cadunt. quorum celsitudo tu es.

O quam excelsus es, et humiles corde sunt domus tua! Tu enim erigis elisos, et non cadunt, quorum celsitudo tu es.

Augustinus Hipponensis, *Confessionum libri XIII.*, 11.31 (CCSL 27, L. Verheijen ed., p.216, ll.20-22).

15. Idem (Augustinus de confessionibus). voluntas et potentia dei, deus ipse est.

Esset autem maior, si te ipso tu ipse maior esses: uoluntas enim et potentia dei deus ipse est.

Augustinus Hipponensis, *Confessionum libri XIII.*, 7.4 (CCSL 27, L. Verheijen ed., p.95, ll.16-18).

16. Idem (Augustinus) super genesim contra manicheos. deum dicimus tante benignitatis. tante iustitiae esse, tante incorruptionis, ut neque peccet, neque alicui noceat qui peccare noluerit, nec ipsi aliquis qui peccare voluerit.

Nos negamus, sed dicimus nulli naturae nocere peccata nisi sua; et deum dicimus tantae bonitatis esse, tantae iustitiae, tantae incorruptionis, ut neque peccet neque ipse alicui noceat qui peccare noluerit, nec ipsi aliquis qui peccare voluerit.

Augustinus Hipponensis, *De Genesi contra Manichaeos*, 2.29.43 (CSEL 91, D. Weber ed., p.171, ll.19-23).



17. Idem (Augustinus) in soliloquio. constanter deo crede. eique te totum committe quantum potes. noli uelle esse quasi proprius et in tua potestate sed eius clementissimi et vtilissimi domini te seruum esse profiteri. ita enim te ad se subleuare non desinet neque euenire permittet nisi quod tibi prosit etiam si nescias.

Constanter deo crede eique te totum committe quantum potes. Noli esse uelle quasi proprius et in tua potestate, sed eius clementissimi et utilissimi domini te seruum esse profiteri. Ita enim te ad se sublevare non desinet nihilque tibi evenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiam si nescias.

Augustinus Hipponensis, *Soliloquiorum libri duo*, 1.15.30 (CSEL 89, W. Hörmann ed., p.44, ll.7-11).

18. Idem (Augustinus) de coniugiis adulterinis. absit ut quisquam catholicus dixerit quando suadet spiritus sanctus non dominum suadere [fol.4ra] cum et ipse dominus sit, et inseparabilia sint opera trinitatis.

absit enim, ut quisquam catholicus dixerit, quando suadet spiritus sanctus, non dominum suadere, cum et ipse dominus sit et inseparabilia sint opera trinitatis.

Augustinus Hipponensis, *De adulterinis coniugiis*, 1.18.21 (CSEL 41, J. Zycha ed., p.368, ll.17-19).

19. Idem (Augustinus) de ciuitate dei. patientia dei inuitat malos ad penitentiam sicut flagellum dei ad patientiam erudit bonos.

Quamuis enim quidam eorum ista cogitantes paenitendo ab impietate se corrigant, quidam uero, sicut apostolus dicit, *diuitias bonitatis et longanimitatis Dei contemntes secundum duritiam cordis sui et cor inpaenitens thesaurizent sibi iram in die irae et reuelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera eius*: tamen patientia Dei ad paenitentiam inuitat malos, sicut flagellum Dei ad patientiam erudit bonos; itemque misericordia Dei fouendos amplectitur bonos, sicut seueritas Dei puniendos corripit malos.

Augustinus Hipponensis, *De ciuitate Dei*, 1.8 (CCSL 47, B. Dombart ed., p.7, ll.4-13).

20. Ambrosius super Lucam. nichil prescriptum nichil circumscriptum nichil emensum. nichil dimensum trinitas habet. non loco clauditur nec opinione comprehendetur. non estimatione concluditur, non etate variatur.

Nihil praescriptum, nihil circumscriptum, nihil emensum, nihil dimensum trinitas habet.  
Non loco clauditur, non opinione comprehenditur, non aestimatione concluditur, non aetate uariatur.

Ambrosius Mediolanensis, *Expositio euangelii secundum Lucam*, 2 (CCSL 14, M. Adriaen & P.A. Ballerini eds., p.36, ll.189-193).

21. Isidorus. de summo bono. Ille qui nos malos tolerat, non dubium est quod conuersis clementer ignoscat.

Nam ille qui nos malos tolerat, non dubium est quod conuersis clementer ignoscat.

Isidorus Hispalensis, *Sententiae*, 2.15.8 (CCSL 111, P. Cazier ed., p.128, ll.40-41).

22. Idem. Dum de deo nec secundum quantitatem nec secundum qualitatem nec secundum situm nec secundum habitum aut motum aliquid digne dicatur. inest tamen ei et quodammodo latitudo caritatis qua nos et ab errore colligit et continet in veritate. inest ei et longitudo qua nos longanimiter malos portat donec emendatos patriae future restituat. inest ei altitudo per quam omnem sensum sue sciencie in mensitate exuperat. Inest ei et profundum quo damnandos inferius iuxta equitatem disponens preordinat.

Dum de Deo nec secundum situm, nec secundum qualitatem, nec secundum habitum aut motum aliquid digne dicatur, inest tamen ei quodammodo latitudo caritatis, qua nos et ab errore colligit, et continet in ueritate. Inest ei et longitudo, qua nos longanimiter malos portat, donec emendatos patriae futurae restituat. Inest ei et altitudo, per quam omnem sensum suae scientiae immensitate exsuperat. Inest ei et profundum, quo damnandos inferius iuxta aequitatem disponens praeordinat.

Isidorus Hispalensis, *Sententiae*, 1.2.6 (CCSL 111, P. Cazier ed., p.10, ll.38-46).

23. Ioannes Chrisostomus super Mattheum. deus inuitus compellitur cum magno dolore. peccatores dampnare. Non enim sic dolet quia et ipse ab eis offenditur. sed quia quasi uiolenter cogitur perdere aliquem qui omnes cupit saluare.

Nam Deus inuitus compellitur cum magno dolore peccatores damnare. Non enim sic dolet, quia ipse ab eis offenditur, sed quia quasi uiolenter cogitur perdere aliquem, qui omnes cupit saluare.

Pseudo-Chrysostomus, *Opus imperfectum in Matthaem*, 46 (PG 56, col.895).

24. Idem. deus gaudet non de suo lucro sed de salute nostra. tristatur non de sua iniuria sed de nostra perditione.

Sicut enim beneficientes, non Deo praestamus, sed nobis: Deus autem gaudet, non de suo lucro, sed de nostra salute; sic non peccantes non Deo nocemus, sed nobis: Deus autem tristatur, non de sua iniuria, sed de nostra perditione.

Pseudo-Chrysostomus, *Opus imperfectum in Matthaem*, 46 (PG 56, col.894). cf MF Misericordia ac



25. Bernardus de consideratione. deus amat ut caritas, nouit ut ueritas. sedet ut equitas. dominatur ut maiestas, regit ut principium. tuetur ut salus. operatur ut uirtus. revelat ut lux. asistit ut pietas.

Sed Deus amat ut caritas, nouit ut ueritas, sedet ut aequitas, dominatur ut maiestas, regit ut principium, tuetur ut salus, operatur ut uirtus, revelat ut lux, assistit ut pietas.

Bernardus Claraeuallensis, *De consideratione libri V.*, 5.12 (SBO 3, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., pp.476-7, ll.26, 1-2). cf. MF Deus t

26. Idem. deus non partibus constat ut corpus. non affectibus distat ut anima. non formis substat ut omne quod factum est.

Non partibus constat, ut corpus; non affectibus distat, ut anima; non formis substat, ut omne quod factum est, sed neque formae, ut istis visum est.

Bernardus Claraeuallensis, *De consideratione libri V.*, 5.7 (SBO 3, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.480, ll.8-10). cf. MF Deus r

27. Idem super qui habitat. vigilat super nos indefessus et pervigil ille singularis clemencie oculus non dormit neque dormitat. id quidem necesse est. Non enim dormit neque dormitat qui custodit Israel.

Vigilat super nos indefessus et pervigil ille singularis clementiae oculus: non dormit neque dormitat qui custodit Israel. Id quidem necesse est. Non enim dormit neque dormitat qui impugnat Israel.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones super Psalmum "Qui habitat"*, 11.1 (SBO 4, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.448, ll.6-8).

28. Idem in sermone. quatuor filie magne misericordie sunt. immissio amaritudinis. subtractio oportunitatis. uirtus resistendi. et sanitas affectus.

De quattuor filiabus magnae misericordiae dictum est, quae sunt immissio amaritudinis, subtractio oportunitatis, uirtus resistendi et sanitas affectionis.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones de diuersis*, 13.4 (SBO 6.1, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.133, ll.6-8). cf. MF Misericordia z

29. Auctor de spiritu et anima. Nemo de dei pietate diffidat. quoniam maior est eius misericordia quam nostra miseria. et quisquis ad eum toto corde clamauerit. exaudiet eum quia misericors est. tardius siquidem videtur ei esse peccatori ueniam dare. quam ipsi peccatori accipere. sic enim festinat absolvere tormenta consciencie sue quasi plus cruciet eum compassio miseri. quam ipsum miserum passio sui.

Nemo ergo de Dei pietate diffidat, quoniam major est ejus misericordia, quam nostra miseria; et quisquis ad eum toto corde clamaverit, exaudiet illum, quoniam misericors est. Tardius siquidem ei videtur peccatori veniam dare, quam ipsi peccatori accipere. Sic enim festinat absolvere reum a tormento conscientiae suae, quasi plus eum cruciet compassio miseri, quam ipsum miserum compassio sui.

Alcherus Claraeuallensis (dubium), *De spiritu et anima*, 6 (PL 40, col.784).

30. Glossa Ione ii. deus natura misericors paratus est ut saluet per clemenciam quos saluare non potest per iusticiam.

**Qui custodiunt...** Deus natura misericors paratus est vt saluet per clementiam quos saluare non potest per iusticiam. sed nos misericordiam se offerentem vicio nostro relinquimus.

*Glossa ordinaria, liber Ionas, 2* (Biblia Latina cum glossa ordinaria, A. Rusch ed., Strassburg, 1480).